



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 1. Nomen, & differentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

TITVLVS VIII.

De Procuratoribus, & Advocatis.

N illis, quæ hæcenus diximus, tam de reo, quàm Actore plurimum prodesse possunt Advocati & Procuratores, quando quidem verissimum illud non vulgi, sed sapientum. Procuratores necessitas invenit. Nam quia rebus suis adesse semper non licet, aliis demandanda cura est. Mens, consilium: cognitorum, & os Advocati olim dicti sunt. Procuratores manibus comparare licet: nisi in utrifque scientiam & operam simul desideras, quod multi faciunt. *l. 1. §. usus. ff. hoc. Tit.*

§. I.

Quid nominis, & differentia?

Advocare est patrocinii, consilii, vel testimonii causa convocare. Hinc *Africanus in Verz. 1.* advocatum in iudicio dicit eum, qui velius suggerit, vel præsentiam suam amico commodat. Etenim moris erat in iudiciis tum privatis, tum publicis amicos omnes advocare, quorum auctoritate moveri posse iudices putabantur.

Procurator appellatur, quasi pro advocator, pro domino scilicet, vel

in negotio, vel in iudicio. Materia illius res, aut lis. Quosdam enim rebus propriis, & iudicis interesse non patitur infirmitas, necessitas, aut mentis inconstantia: alii, quod per se quocunque modo præstare possent, per alios magis idoneos & industrios expedire malunt. Pro ea cura igitur substituunt virum rebus gerendis naturam, qui exinde procuratoris titulo honoratur. *L. licet. C. eod. V. V. sen. l. 3. ff. Tit. 3. Silv. V. Procurator. Valens. l. 1. Paratit. l. Tit. 38. §. 1.*

II. Procurator ergo est gestor, seu administrator, qui aliena negotia mandato domini gerit, vel administrat. Administrator loco generis est, quod per se quæntia contrahitur: si extendere lubet ad iudicalem procuratorem, adde, vel lites tractat. Quod dicitur mandato domini distinguit à defensore, & negotiorum gestore, qui sine mandato defendit, & negotiatur. *§. Igitur. Inst. de oblig. qua ex contr. nasc. licet in diversis legibus etiam qui sine mandato alienarum rerum curam suscipiunt, reperimus vocari procuratores, qui melius gestores vocarentur. l. qui hominem. 34. §. si gener. l. si quis. §. 8. ff. de solutionibus. Treutlerus Vol. 1. Disp. 9.*

Ad differentiam tamen ferè addi solet

let nomen *Verus* ex quo cognoscimus, non alium denotari, quàm cui rerum, & negotiorum administratio tradita, & commissa à domino est. Peridem distinguitur à tutore & curatore, aliisque similibus, qui nullius domini mandato, sed publica auctoritate, vel legis, vel magistratus, vel testatoris administrant.

Verbum *gerit*, seu *administrat*, procuratoris, & advocati differentia est. Advocatus enim propriè loquendo non negotiatur, sed patrociniatur, non rerum, sed causarum, & litium curam gerit, ut latius postea. A nuntio quomodo differat, ex dictis clarius est, quia ut ceperere oporteat.

Illud observa procuratoris nomen iure Canonico latius patere. Nam procuratorem constituere dicitur etiam Prælati, Ecclesia collegiata, universitas, & Collegium, cui alias syndici nomen proprium est. *Azo in sum. l. 2. Rubr. 13. Lanciel. l. 2. Inst. c. 2.*

Infamis, & excommunicatus pro persona Ecclesiastica non recipitur, si pro laica eligatur. *Panorm. in c. Imperatorem. de iuram. calum. Corvinus l. Tit. Aphorism. Tit. 9. Silv. V. Procurator. Moscon. l. 2. de iudic. Par. I. c. 5.*

III. A diversitate rerum, & curarum, alii procuratores sunt iudiciales, alii extraiudiciales: His extra lites, negotia committuntur, ut patet ex *Tit. Mandati in Dig. & Codice*. Iudicialibus causæ litigantium creduntur, indeque procuratores ad lites appellantur, de quibus passim titulo de Procuratoribus. Vtrique interdum constituuntur præsentibus, & coram apud acta

præsidis, vel magistratus, interdum absentes per epistolam vel nuntium *l. 1. 2. 3. 6. ff. hoc. tit. l. 1. Mandati. l. Eum. §. Iulianus. de constitu. pecun.* modò ratum expresse vel tacitè habeant. Constituuntur item purè ac simpliciter, vel sub conditione aliqua: Item vel in præsens, ut absque mora incipiant officio fungi, vel in diem, id est, præfixo termino, puta Calend. Iann. aut Februarii. *l. Item, & ad litem ff. hoc. t.* similiter vel ad diem, vel usque ad annum, *di. l. Item.* Et tunc si expiret tempus, non potest ulterius progredi agendo etiam lite contestata: nisi fortè generaliter ad omnes causas, & necessitatem supplendam ordinatus fuerit. *l. procurator. ff. eod.* Denique constituuntur aliquando addendo clausulam *cum libera* hoc est, plena potestate agendi & disponendi, quomodo ipsi dominus faceret: aliquando omittitur ea clausula, & certis limitibus circumscribitur concessa potestas. *Barb. in c. Qui ad agendum num. 7. Vallens. l. c. §. 2.*

IV. Inter procuratorem extraiudicialem, & iudicalem duæ differentię intercedunt.

Prima est. In iudiciali requiritur ætas annorum 25. completa: in extraiudiciali sufficit annorum 17. saltem iure Canonico. *c. Qui generaliter §. fin. eod. in 6.* tum propter beneficium restitutionis, quod ipsi minori competit. *l. minor 25. ff. eod.* tum quia non convenit ad lites peragendas admove- re illum, qui stare in iudicio propter defectum ætatis non potest aliter de principali, seu domino dicendum, qui cum an-
num ætatis quartum

decimum pervenerit, ad agendum, & defendendum, per se, vel procuratorem in causis beneficialibus & aliis spiritualibus admittitur. *Put. Decifiane 155. Lancel. l. 3. Tit. 2. Barb. in c. Qui generaliter h. t. num. 9 Vallens. l. 1. Tit. 38. §. 3. Secunda differentia est.* Extra iudiciali procuratori substituere alium ex causa licet: procuratori iudiciali non licet, nisi forte per huius contestationem factus sit dominus litis. *l. Nequel. quod quis c. eod. vel à domino substituendi potestatem habeat, vel in rem suam datus sit. c. cit. Qui generaliter h. t. in 6. Corvinus in Aphorismis h. t.*

Quòd si procurator ad aliquid specialiter agendum constitutus alium substituit, omnem in illum potestatem transfert, nec revocare illum, nec substituere alium potest. *Tiraquell. in l. Voves. §. hoc sermone. ff. de verb. signif. Maranta Par. 4. pag. 110. Wesenbec. lo. cit. num. 8.*

V. Quomodo procurator iudicialis ab Advocato differat hodie, propter mutationem temporum, & morum non est facile explicatum.

Illud tamen ex iure communi & veteri liquet, Advocati munus nobile, & personas ipsas nobiles cenferi, ut *Tiraquell. monstrat Tr. de nobilitate. c. 29. num. 11.* Procuratoris è contra officium vile erat. Etenim advocati est causas aestimare, rationes, & argumenta excogitando, quibus controversia vel stabiliatur, vel debilitetur: procuratoris verò, quæ ab advocato concepta sunt & approbata, in iudicio proponere, urgere processum: ca-

attendere & promovere, quæ ad legitimum modum iudiciorum, & similia pertinent. Quamobrem maior in advocatu, quam procuratore scientia requiritur. Nam ut colligitur ex *l. Nemin. C. de advoc. diversor. iud.* minimum quinque annos impendere studio iuris Advocatus debet, tum à DD. examinari, & approbati. *Sily. v. Advocatus num. 9. Wesenbec. l. 3. ff. Tit. 3. de Tholos. l. 49. c. 6.* procuratores autem esse velut apparitores, ministros, & executores. Aliqui in hoc differre censent, quod Procurator vicem personæ & domicilii tantum absente cliente sustineat.

Cæterum hodie ubique locorum ferè Procurator, & Advocatus, ut synonyma reputantur. Imò in Spirensi Camera Advocatus Procuratore inferior est: teste *Gaill. l. 1. obs. 43.* Et per hoc ait *Schvvanmannus in Differentia 9. ius antiquum contrarà consuetudine abrogatum est.* Nec amplius à syndico nisi nomine tenus distinguitur, cum aliàs syndicus, non verò procurator, ab Ecclesiâ, Collegio vel universitate constituatur. *l. 1. §. quibus permiffum est. ff. Quod cuiusque Universitatis nomine c. Quia in causis de Procuratorib. Azor. 111. l. 13. c. 29. Vallens. l. 1. Tit. 39.*

§. 2.

De necessitate, & officio Procuratoris iudicialis.

I. IN privatis iudiciis admittitur Procurator, cum certa pœna constituta.